

26

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis decimâ septimâ Novembris 1707.

M. PETRO AZEVEDO,

DOCTORE MEDICO,

ET SCHOLARUM PROFESSORE,

PRÆSIDE.

An hydropi aliquandò balneum frigidæ?

I.

QUI universam curandi artem in philosophicis studiis tantùm positam esse credunt, ii prorsùs omnem sanandi methodum ignorant. Nec minùs in delectabilis, argutæque desidiæ salebras dilabuntur, qui jejunis neotericorum hypothesibus obcæcati, veterum monumenta contemnunt. Ab omni autem sectæ genere alienus esse debet, qui non minùs ægrorum saluti, quàm existimationi suæ consulit. Plura certè neoterici ambitiosè jactitant, haud meliora his, quæ veteres tradiderunt: sic qui antiquitùs curatu difficiles, aut insanabiles censebantur morbi, ii nostra ætate tot nuper inventorum incantamentis nihilominùs obsurdescunt. Confabulamur enim antiquitate politiùs; ambigua, & dubia conquisitis rationibus eleganter expendimus; ast in curando, si non inferiores, non feliciores veteribus esse videmur. Quid ergò ineptissimè superbimus? atque illorum curandi normam experientiâ duce probatam flocci-facimus? tribus quatuorve tantùm, à barbaris tamen commonstratis præsidiis tumentes. Quot, quantisque tempore Hippocratis medelæ morbis balnea fuerunt? cur tandem hæc oblivioni tradita? tantæ profectò necessitatis ea urbibus apud veteres reputabantur, ut præter publica balnea, quadrante solvenda, nobiles privata in proprium usum construebant; atque horum quisque pauper videbatur, & sordidus, nisi fulgenti pretiosorum lapidum nitore suorum balneorum parietes undique splendescerent; in quibus vario saxa decore certabant, Taygeti metalla, pinguis onyx, & distinctum maculis marmor Ophites. Genus balneorum triplex; calidorum, tepidorum, & frigidorum, quorum diversitas pro variâ temporis, & occasionis necessitate fuit constituta. Calidorum æstu temperabatur frigus, lassa labore corpora, & penè confracta refocillabantur jucundè. Blandâ tepidorum mulcedine sordes eluere, & somnum capessere curabant. Frigidis verò lavabantur roboris, & sanitatis ergò. Fidâ * medicorum observatione constat, eos, qui frigidis delectabantur, plus appetivisse, meliùs concoxisse, ac minùs sitiisse, venisseque tandem ad labores postridie planè meliori corporis habitu, mole quidem

* Galen. lib. 3. de sanit. tuend. cap. 4.

magis compactâ, & vegetiore: cute verò duriore, ac densiore. Hinc nemo è calidis egrediebatur, qui postmodùm crudâ non immergeretur, Martiâve virgine. Sic cognitâ in dies balneorum frigidorum utilitate & præstantiâ, calidis damnatis, morbos curabant frigidis non ignobiles * medici, qui proroganda vitæ, & firmando corpori illa inservire existimarunt. Desine jam ampliùs mirari; nec æthiopem lavare credas, si fortè quis hydropem frigidâ lavatione curare tentet.

* Plin. lib. 25. cap. 7. & 18. cap. 4.

II.

HYDROPS à partibus, quas malè habet, nomina solet mutuari: sic in capite aquosus languor, hydrocephalus; in scroto hydrocele appellatur. Tres tamen à medicis hujusce diri morbi species traduntur, quas Græci curiosi nominum τυμπανίτην. ὑποσάρκην & ἀσκίτην vocarunt; in primâ tympani instar venter vehementer intentus resonat percussus: in secundâ totum tumoribus corpus inæquale fit: omninm communior ascites, qui non causâ, sed afficiendi modo, ab aliis distinguitur. Media corporis sedes à ventris summo ad pedes usque intumescit; superiora sæpe marcescunt; difficilis respiratio, tumore abdominis diaphragmatis motum præpediente; adest urinæ paucitas & crassities quia renes seri defraudantur secretione. Sitis vexat Tantalea, propter quam lepidè nautis ægrotos comparaveris alto in mari potu carentibus, qui dum aquis computrent madescentes, aquarum tamen desiderio dispereunt; motus lymphæ culpandus oris glandulas deferentis, ac aliò corrivantis. Continetur hæc seri stillantis colluvies interdùm hydatidibus, quibus, veluti totidem tumoribus, unus fit abdominis ingens; interdùm non ita minutis divisa paludibus, uno includitur omento: fluit constanter, aut ex lymphæ vasis, vel humoris, vel proprio disruptis vitio; aut ex vasorum sanguineorum poris nimis hiantibus, crassiores tamen sanguinis moleculas non admittentibus. Ea enim est vasorum textura, & indoles, ut ægrè retineant, quod in illis tenuius evoluitur, si fortè illa nimis turgeant succis difficulter circulantibus: quos dipellere, aut promovere nequit ingenitus fibrarum elater, propter nimiam extensionem jam prorsùs deperditus. Neque tamen tot malorum turbâ divexatis communius malum pepercit, id est, febris, quæ licet mitis sit, continuitate pensat, quantum lenitatis præse fert. Quid ergò? in tam viscido, & ferè lutulento sanguine nimiam, atque exlegem fermentationem causaris? quid ineptius? sanguis in hydrope non musto, sed vapescenti similis vino; quod paulò intensiùs fermentescere nullus affirmaret Oenopola. Vulgarem occinis cantilenam, tardum nempè sanguinis progressum? parvos certè in cognoscendâ febris naturâ progressus & tu fecisti. Non omnis liquidorum torpor febris parens; imò hæc aliquandò expetenda, * ut in convulsione, apoplexia, in qubus nimis torpescit sanguis. Febrem non tam vitium motûs in liquidis, quàm substantiæ, existiima, quæ si moleculis salinis nimis luxurantibus, aut cum reliquâ massâ malè cohærentibus fuerit referta, cor ad celeriores pulsuum agitationes solicitat, quarum modulum arteriæ sequuntur simili conciitæ causâ: sic in hydrope febris non magna spectanda, in quo sal obtusè agit; quia non dissolutum; ferit tamen, quia non benè mixtum; in quo solida remissè micant, Cataclysmo submersa. Hinc interruptum circuitionis pensum; prava liquidorum mistio; devius secretionum error; functionum inertia.

* Hipp aph. 57. lib. 4. & aph. 26. lib. 2.

III.

STUPENDA solidorum, & liquidorum, quæ corpus constituunt, ad libellam proportio! mirandi utrorumque motûs, conspirationes, potentiæ! his, tamquam staterâ quâdam, sanitatis momenta, & morborum perpenduntur. Enervatâ solidorum energiâ, & virtute oscillandi remissiori factâ, sanguis crebris illorum ictibus atterendus, ducendusque in orbem, crassescit, hæret in angustiis viarum, circuli expeditè describendi planè oblitus. Hinc omnia repetenda, quæ hydrope detentos excruciant symptomata. Nec aliundè suspicere, totum tumefieri fœdâ corpus albedine; lympha stagnat, suis tamen conclusa vasis; nec alio pacto credas, seri stillantis in abdomen præsertim decidisse profluvium; ibi tortuosi nimis canales, exiles valdè, sic à sanguine jam viscido difficulter permeandi; qui dum mollescentis abdominis recessus perreptant, minùs habent elateris, quo sanguinem quatiant, & dispellant torpidum; hinc aquarum adulterata secretio. Hæc colluvies si particulis diversæ naturæ gaudeat; lucta inter ipsas, & fermentatio oritur, quâ vapores, ventique exurgunt, qui abdomen pulsum resonare faciunt. Ut enim nunquam aqua cum oleo benè miscetur, nisi interveniente salino vinculo; sic pars sanguinis aqnosa ultrò deserit aliarum consortium, subtilibus destituta particulis, id est salinis, libero tantùm liquidorum cursu, ac jugi fibrarum quassu evolvendis. Negas circuitionem præpeditam, & interruptum fibrarum elaterem hydropis esse causam? Ecce tibi ex transuerso * experimentum non semel institutum: injice cor inter, & diaphragma vinculum, animal hydrope laborare facies; sic pariter agunt viscerum in abdomine conten-

* Lovverius de corde.

5

torum tumores, partium vincula, quæ dum liquida retardant, seri effusionem promovent? Hâc ratione in tumoribus internis, & glandularum infarctu, non adeo tuta effrænata potûs ingurgitatio, hydropis interdum nutrix: * *inundationem quandam inducit, nam tardi transitûs est.* Torpet sanguis? languidè solida oscillant? bibant ægrotantes, ut vivant; non verò expleantur, ut extinguantur: impares fibræ tanto aquæ diluvio ferendo fatiscunt. Sanguinis viscidi corpuscula in glomos complicata largo aquæ potu expedire tentas? nil absurdius; compactiora reddes instar butyri aquâ multoties conquassati; pingues autem sulphuris concretus, & veluti contextus resinosi perperam aperiuntur aquoso *menstruo*, quo, si nimium illud fuerit, subtilia salis ramenta, sine quibus languet effœtus sanguis, dissoluta evanescunt magis tenuata. Sic diuturnæ febres, pertinaces morbi, infamis ob immoderationem missio sanguinis, hydropem accersunt: hi vitæ hostes, quò plùs subtilium partium furantur, eo magis solidorum elaterem infirmant, sine vivido sanguine intendi ineptum, relaxari aptissimum. Hinc non minùs huic morbo obnoxii, vini libidine ad usque ludibria ebriosi, qui sapido exusti igne à se tandem exhalare faciunt plures particulas, solidorum incitamentum, liquidorum virtutem. Illa redintegrare cupis? morbus incipit? Vires non adhuc fractæ? nullus in visceribus tumor? florida denique ægrotantis ætas? frigidâ illum audacter immerge; redibit pristinus functionum vigor, sanitatis documentum.

* Hip. de ratione victûs in morbis acutis.

IV.

BALNEORUM frigidorum virtus remediis etiam præstantissimis non inferior, interdum enim major; magnas tacitè imperti humanæ machinæ alterationes, nec à luxu quidem, & medicaminum vulgarium inani pompâ expectandas: difficile dictu, succos magis immutando, an solida afficiendo, utilis. Cave, credulus existimes balneo, etiam tepido, habitum corporis relaxari; imperviosque transpirationis meatus aperiri; aut, quod magis ridiculum, per cæca cutis foramina aquam in corpus penetrare; obstat quidem ipsa aquæ substantia, densior, & ponderosior aere, crassior transpirationis materie. Illa undique corporis superficiem ambiens, æqualiter eam premit, & foraminulis cutis applicata obicem ponit materiæ per ea alioquin erupturæ. Idem corpori aquâ immerso accidere eredas, quod *Alembico* contingit, cujus capitellum aquâ plenum est, quæ vapores rei destillandæ per capitelli poros avolare non sinit, sed intûs retinet per *Alembici* rostrum exituros. Hinc non malè deducenda eximia balneorum virtus ad promovendam urinæ secretionem, quâ per viam maximè commodam feliciter avertitur deliquati seri diluvium, proxima hydropis materies. Sed ex omni balneorum genere securiùs id præstat frigidum; quo non solùm vasa cutis ac glandulæ, sudoris incernicula, coarctatæ exprimuntur, & liquida ad centrum propulsantur, sed stricta transpirationis oscula non inutiliter circumcluduntur. Hinc * *balnea frigida quamdam præbent caliditatem.* Verùm te jam prohibitæ transpirationis nomine exterritum mussitare subaudio: quid ergo? nescis ne, plura, quæ semper retenta, essent nocitura, aliquandò evacuari, non convenire: quid magis corpori inimicum, quàm alvinis scatere fœcibus? non deest tamen * Medicus experientiâ formatus, qui illas ne levi quidem clystere aliquando deturbare non audet. Ideo rem meliùs considera; quidquid est transpirando per cutim fugiturum, id ferè totum sal *urinosus* est. Judex est lingua corpori abundanter transpiranti applicata salsum percipiens gustum urinæ salsedini non dissimilem. Hujusmodi sal balneo præsertim frigido repulsus, penè jam deficientes fermentationes erigit; seri sanguinis diffluentis laticem cum sulphureâ ejusdem substantiâ miscet, solida instigat ad oscillandum alacriùs: hinc in centro tritus validior, liberior liquidorum fluxus, abundantior subtilium particularum evolutio; quibus transpiratio, parva alioquin per cutem egressura, per os, & nares in balneo copiosa; à balneo undique confertissima. Num hac de causâ cor aquâ immersum fabricata est natura? subtiliores scilicet particulæ avolare affectantes, cum sanguine remistæ, aptæ ad motum, ad fluendum accommodæ. Dubitas depressam, & fere expirantem liquidorum, & solidorum virtutem in balneo erigi, & excitari? tange pulsum, fortiùs certè, & vegetiùs micantem. Parvum id juvamen ad hydropem curandum censes, laticis jam delapsi, atque in abdomine exundantis memor? illum ad circuitionis pensum adigent cutis fibræ intensiùs oscillantes, atque frigidæ aculeis identidem exilientes: hæ dum frigore contrahuntur, ac irritatæ æqualiter undique crispantur, earum motum interna solida necessitate quâdam mechanicâ insequuntur; quorum contractiunculis urgetur, & quasi exprimitur ex partibus effusus latex, regias circuitionis vias repetiturus: hinc æquilibrii restitutio, superati obstructionum obices, magnus urinæ proventus, tumentium partium demissio.

* Hippocrate lib. II. de diæta.

* Sindenham fol. 70. & 309.

128

V.

POSTHAC balnei frigidi præstantiam in hydrope curando quis negaverit ? aut quis paratu facilis hoc remedii genere non potiùs oblectetur ? quod dum externa eluit, interna vindicat à colluvie totum fœdante corpus. Sint procul cathartica, quibus forsan enervatus sanguis magis colliquescit vitio lymphæ glissente. Sic * ægrotum molliri cibo, quàm medicamento melius est. Releganda diuretica infido sæpe eventu, liquidotum turbatio. Paracentesis aliquando utilis ; sed non semper sanat emissus humor, sed alteri locum facit mox mox corrivandi. Quanto tutius jucundiusve calidâ tempestate per hanc frigidæ lavationem lymphaticus error curatur : eâ namque solidorum elateres jam planè mucidi intenduntur ; quibus liquida conquassata liberiùs fluunt, destinatis incerniculis exuberantes succos depositura: sic inter solida & liquida amissum restituitur æquilibrium ; quo tota stat sanitatis felicitas. Hinc mitte mirari, acerbissimos lithiasi laborantium dolores incantamenti instar sedaros balneo ; hoc enim non relaxari partes existimes, imò premi æqualiter, & ad libellam reduci : sic doloris sensus vanescit. Id tibi non placet ? Papillares renum cavetnæ abundantiori seri proventu per balneum turgidæ, lapillorum humore jam innatantium non convelluntur affrictu. Neque illud miserrimi morbi genus, in quo simul æger & siti & aquæ metu cruciatur, ὑδροφοβίαν Græci appellant, aquæ immersione sanatum admireris ; fibrarum aquæ frigore æqualiter oscillatium, & susceptum virus excutientium effectus est. Te angit scrupulosus ille periculi timor ? ne infirmum corpus in aquâ frigidâ vexatum nervorum distensio absumat : medicorum * monumenta revolve, in quibus juvenes tetano correptos frigidæ perfusione sanescere, proditum est. Adhuc hæres ? & caloris jam languidi suffocationem times ? doctis philosophiæ nugis implicaris ; quibus si modum non feceris, periculum non mediocre erit, ne, ut plerique alii, tu quoque in illis dialecticæ gyris, atque mæandris tamquam apud Sireneos scopulos consenescas : experientiæ tantùm crede, fido medicinæ interpreti : hac innixi Angli Medici nunc frigido balneo curant hydrope obsessos, ætate tamen florentes, validos adhuc, & ætate mediâ ; neque ad hanc methodum temerè aut solo æstuantis imaginationis ausu ducuntur ; sed duorum bajulorum observatione instructi. Illi exonerandis navibus vitam quæritantes, atque hoc morbi genere mediocriter impliciti, dum suo in opere occuparentur, aquis quotidie pectore tenùs immergebantur, ac sine alio remedio convaluerunt. Nec id aquæ maris præsertim acceptum referri putes : idem observatum quâcumque aquâ, modo frigida sit, quâ solâ cachecticis, arthriticis, stomacho & capite debilibus multoties medebatur veneranda antiquitas.

* Celsus lib. 3. cap. 21.

* Hipp. aphor. 21. lib. 5.

Ergo aliquandò hydropi balneum frigidæ.

Domini Doctores disputaturi.

M. Claudius du Fresne.	*M. Joannes-Baptista Chomel Medicus Regis ordinarius, & Regiæ scientiarum Academiæ Socius.*	*M. Franciscus Maillard.*
M. Antonius le Clerc.	*M. Josephus Pitton-Tournefort Regiæ scientiarum Academiæ socius, & in horto Regio Botanices professor.*	*M. Joannes Poisson Medicus Regis ordinarius, Serenissimi Burgundiæ Principis primarius.*
M. Philippus Hecquet.	*M. Andræas Cressé.*	*M. Petrus-Paulus Guyart, Regii Mutilatorum Nosocomii Medicus ordinarius.*

Proponebat Parisiis ALEXANDER LE FRANÇOIS Parisinus, Baccalaureus Medicus. A.R.S.H. 1707.

Typis Viduæ Francisci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographi.